

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema LXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

(quibus amara recordatio, Syr. 4 1. & ingrata est mentio mortis) ut magnates, diuites, raro aut nunquam cogitant, quod ipsi etiam communi legem mortalium teneantur. Putant tantum senes, ægros, morbosos, pallentes & pauperes atque cæteros morituros, se vero non item. At via est *omnis* carnis, Jos. 23. v. 14. 1. Reg. 2. v. 2 *omnibus* constitutum mori, Hebr. 9. Et quis animam, hoc est, vitam suam redimet? Nec formosus Absolon, nec robustus Samson, nec sapiens Salomon, nec piissimus Josias, &c.

ADMONITIO est pro securis. Respice finem, & non peccabis, Syr. 7. v. 40. Memento mori, Syr. 3. 8. v. 23. Mors tollit cum paupere Regem. Æquo pulsat pede regum turres, &c.

CONSOLATIO pro miseris. Non ipsi soli morientur, sed & alii. Vide Hiob. 21. v. 26.

Accedit & hæc CONSOLATIO, non timendos quosuis tyrannos & impios persecutores, cum sint mortales, Esai. 51. v. 12.

F I N I S.

T H E M A L X I I.

Psalms integer 90.

Oratio Moysi viri Dei.

NOTA. Quamvis prolixior sit hic Psalmus, multa de morte & adiunctis continens, tamen quia plures versus huius Psalmi, alibi passim peculiare suas habent Dispositiones. hoc loco totus Psalmus, vna Dispositione explicatus est. Plures tamen, qui vult, inde extruere poterit conciunculas.

D I S P O S I T I O Psalmi 90.

Insignis est hic Psalmus, & recte Psalmus funebris dici potest: eo quod de breui vita hominis, de morte & eius causa, cæterisque morti adiacentibus, & eiusmodi rebus,

bus, qui in funeribus tractari solent, multa eleganter & copiose nobis tradit.

Inscriptio autem Mosi viro Dei hunc Psalmum tribuit: Sive igitur is author fuerit magnus ille Dei amicus Moses, & Propheta fidelissimus, Num. 12. v. 8. sive alius Prophetarum (qui & ipsi viri Dei vocantur, 1. Sam. 9. v. 6. 2. Reg. 4. v. 7.) certe propter argumentum debet esse gratus, sicut & Deo dictante scriptus, adeoque iam inde ante multas annorum centurias, dignus habitus est, qui Davidicis annumeretur. Hunc iam licet sit prolixior breuiter tractabimus & breuitatis atque memoriz causa in 3. partes diuidemus.

Non autem ordinem verborum sequemur, sed ex toto Psalmo hæc tria discemus.

1. Quam brevis, & simul misera sit vita hominis.
2. Quæ huius miseriz causa.
3. Quid faciendum, vt miseriz illi nostræ consulatur: aut quæ remedia adhibenda.

I. Pars.

Primum, Tu finis mori homines, qui posses id impedire.

1. Magna hæc est & nullis non lachrymis deploranda calamitas, (ver. 3. *Du lässest sie sterben*) quod mori coguntur, qui ad æternam vitam sunt creati, Sap. 2. ver. 23. Idem repetit, v. 5. *Du lässest sie hinfahren*. Non detines eos morituros, sed finis transire. Idem, v. 7. *Wir vergehen*. Desicimus. Perimus, sive consumimur.

Idem, vers. 9. *Unser tag fahren dahin*.

Et vno verbo, vers. 12. *Wir müssen sterben*. *Da hilffe nichts für*.

Et si maxime alii succedant in locum defunctorum, tamen idem mox etiam de filiis sit, quod de prædecessoribus. *Sie müssen auch hernach*.

2. Atque dolendum est, quod tam cito transire nos oportet, vers. 7.

Ann

Anni sunt 70. aut ad summum 80. Quid hoc? Etsi maxime aliqui vixerunt fere mille annis, vt Adam, Methusalem, & alii, in diebus illis antiquis, Gen. 5. v. 3. 2. tamen vix vna die, aut horis aliquot dicendi sunt vixisse. Quia coram te anni 1000. sicut dies preterita. Imo sicut vna vigilia: (quarum vnaquæque nox habet quatuor, secundum veteres.) Quod si nostri anni iam conferantur ad illa tempora, vixerunt vnum punctum aut vnum minutum horæ, imo vix momentum.

3. Hoc iam similitudinibus quinque illustrat.

1. Transiit vita sicut torrens decurrens.

2. Sicut somnium nocturnum.

3. Sicut gramen mane virens & florens, mox vbi succisum fuerit arescit, vt nomen simul cum colore & vigore maritino amittat & fiat fenum.

[De his tribus similitudinibus vide in parte I. Promptuarii huius appendicem Classis V I. Num. 19. 20. & 21. Vide pag. Promp. 504.]

4. Sicut confabulatio mox finem habet: sic anni nostri finiuntur, antequam id animaduertamus. [Vide ibidem Num. 22.]

5. Sicut aues auolant, vno momento quasi euanescentes ex oculis nostris. sic vita nostra quasi auolat.

4. Quod si tamen hæc nostra vita breuissima esset iucunda, & liceret nobis illam in summis transigere voluptatibus, esset illa breuitas aliquo modo tolerabilis.

1. At non tantum breuis, sed miserima est hæc vita. Etenim quod pretiosum est in vita, labor & dolor est, vt. 10. Wie muß dann das böse seyn?

2. Vt. 15. Diu nos affligis. In omni vita affligis, & cruce exerces.

3. Ibidem Patimur diurna infortunia. Das Leben ist kurz, aber die Plag wehret lang. Der Zohr seynd wenig aber des Unglücks ist viel. Hæc de 1. parte.

V s v s huius considerationis multiplex.

I, Ho.

I. Homines non casu mori discimus. Quia dicitur Deus illos sic dimittere, & reducere.

Epicuræi quidem Sap. 2. v. 2. nos fortuito casu nasci & inirere fingunt.

At Christiani sciunt, in manu Dei esse non tantum natiuitatem, Job. 10. v. 8. Psal. 139. v. 16. sed & mortis horam. Ipse enim constituit terminum, quem non præteribit, Job. 14. v. 5.

II. Quia autem hora mortis tam incerta, vt subito casu, etiam quæ maxime videbantur valere, ruant, & vita sicut torrens decurrat, sicut somnium euanescat, sicut gramen arescat, sicut fabula cito finiatur, & sicut auis velociter præteruolet, &c. hoc agendum, vt in tempore ad Dominum Creatorem conuertamur, Ecclef. 12. v. 1. & nihil procrastinemus, Syr. 5. v. 8. & 18. v. 22.

De hoc nos singulis momentis monere posset, vel torrens, vel somnium, vel gramen aut flores, vel scærum, vel colloquium, vel aues etiam volantes.

III. Non tantopere inhiandû rebus terrenis, cum hæc vita cito finiatur: nec opus viatico sit ad alteram, 1. Tim. 6. v. 7. Syr. 29. v. 28.

Frustra ille reponit in multos annos, Luc. 12. v. 19. Aut cur vitam iam ante plus faris miseram, innumeris ac non necessariis curis, nobis reddimus acerbiorum Quod monet Psal. 39. v. 8. Ecclef. 4. v. 6. & 5. v. 11.

IV. Non polliceamur nobis vitam longæuam, sed humiliter quotidie expectemus mortem, Syr. 38. v. 23. Hodie tibi, Psal. 146. v. 4.

V. Quia vita tam misera est, cur illam tam impense diligimus? Cur mortis recordatio tam amara est? Syr. 41. Cur non cupimus dimitti & solui? Luc. 2. v. 19. Phil. 1. v. 23. Quin potius rogamus Dominum, vt finem faciat malorum? Et dum id in oratione Dominica quotidie precamur, Adueniat tuum regnum, cur tam sumus osecitantes, quod id non intelligimus, aut de eo non cogitamus quod oramus.

II. Pars

II. Pars.

At quæ causa non instabilitatis tantum, sed & tot miseriarum huius vitæ.

Ira Dei. Idque quinta vice repetitur.

Verf. 7. In ira tua defecimus.

Eodem mox. Indignatione tua abolemur.

Verf. 9. Anni nostri in ira tua prætereunt.

Verf. 11. Quis credit te sic irasci:

Ibidem statim subiicitur: Indignationem tuam quis timet?

An non hoc est inculcare causam nostrarum miseriarum, Iram Dómini.

Is enim sic commotus est, vi iustissimæ iræ suæ, vt cogatur non tantum affligere & miseram atque acerbam reddere vitam: Sed & morti tradere, vt consumatur & aboleatur, & è conspectu ipsius subtrahatur, atque remoneatur homo.

Rursus ergo quæris: At quæ huius iræ & indignationis diuinæ causa?

Id ipsum quoque haud quaquam dissimulat Moyses, vir Dei, author Psalmi.

Et eleganter quidem exprimit, vt isthæc alte infigamus animo nostro.

1. Peccata nostra, & scelera, quibus homines Deum offendunt, sic inflammat animum illius vt sic irascatur.

Quis dicit illi, quod toties peccemus? In conspectu suo habet peccata. Est enim omniscius. Et non potest non irasci, cum singulis momentis præsentissime intuetur scelera ista pessima.

2. At, inquis, non scelerati tantum moriuntur, vt adulteri, scortatores, (quales erant Zambri & Casbi. Num. 25. verf. 6) & fures (qualis Achan Jos. 7. verf. 20.) & blasphemii (quales ille Leuit. 24. verf. 11.) & transgressores Decalogi, quales ille Sabbari violator. Nu. 15. v. 32. & tales alii multi: sed etiam pii, vt Josephus & Patriarchæ ipsius antecessores, & ipse Moyses fidelissimus Dei seruus,

Num,

Num. 12. v. 7. & Paulus vas electum, Act. 9. v. 15. & Reges, qui fecerunt bonum in conspectu ipsius, vt Josaphat, 2. Par. 17. v. 4. Jehiskia, 2. Par. 19. v. 1. Josias, 2. Par. 34. v. 2.

Imo etiam infans ille Dauidicus recens natus, 2. Sam. 12. vers. 18. & tales plurimi, quos aemo vnquam peccasse vidit.

Respondet Pfalter: Atqui ne hi quidem innocentes sunt, & à peccatis exempti.

Licet enim non constet nobis de peccatis manifestis horum omnium, tamen Deo constat de peccatis illorum occultis. Illa etiam, & (quæ præcipue in infantibus atque omnibus etiam piissimis later) Originalis labes, fons omnium peccatorum, sunt coram Deo in clara luce posita. Ideoque illis etiam (quæ nos non agnoscimus) peccatis occultis, & concupiscentiis prauis in omnium (& infantium quoque) cordibus latentibus, indignatur Dominus. Non enim potest aliter, cum sit iustus & sanctus, & iniquitas non maneat coram ipso, Psal. 5.

V s v s huius loci is est, 1. vt discamus cauere & vitare peccata, quæ concitant iram Dei aduersus nos: & causa sunt omnium morborum & ipsius etiam mortis.

Syr. 38. Qui peccat in creatorem, &c. v. 15. Pf. 107. v. 17. propter peccata sua castigantur, Jer. 2. v. 19. Propter peccata tua sic percussus es.

Hoc enim minatur Dominus transgressoribus mandatorum suorum, Leuit. 26. Deut. 28.

Stulte igitur sit, cum solite ad eum inquirimus, morborum & mortis causas. Was hat er gessen? Was ist ihm gewesen/das er gestorben ist? Was ist ihm geschehen? Vah quid rogas? Peccator fuit & Deum offendit. Itaque ipsi dictum est, Morieris, Gen. 2. v. 17. Den Todt hat er im ersten Brey gessen.

Deinde, notandum ex hoc loco, Neminem coram Deo esse innocentem, ne infantem quidem vnus horum. Exod. 34. v. 7. Nemo innocens. Neque tantum ea peccata venire in conspectum Dei, quæ nobis sunt manifesta: sed

sed

sed etiam occulta, & à nobis non agnita pro peccatis, vt sunt peccatum Originale & concupiscentiæ prauæ, &c.

Itaq; non accusemus Deum, quod flagellat interdum innocentissimos infantes aut alios, quorū vita inculpa- ta est coram hominibus.

Ipse enim corintheis, non tantum externa facta, Ier. 16. v. 17. Ier. 17. v. 10.

Tertio, Nemo conatur DEO occultare sua peccata, vt solent illi, Esa. 29. v. 15. Syr. 2. v. 25. Etenim in conspectum ipsius ventunt, etiam quæ in tenebris sunt, Pl. 39. v. 12. imo quæ à nobis ipsis non videntur aut agnoscutur.

Vt itaque his, qui latere volunt Dominum, Esaiæ 29.

Tandem non absolute fatalis est ille terminus vitæ, quem Deus constituit Job. 14. ve. l. 3. Etenim qui peccatis suis maiorem Dei in se concitauerunt iram, illi certe citius abripiuntur & pereunt.

Minatur enim Dominus impiis quod non sint dimidiaturi dies suos Psal. 55. v. 24. Et Psal. 3. 8. v. 10. Antequam maturescant.

Ier. 17. v. 11. In dimidio dierum suorum derelinquet diuitias iniuste partas, &c.

Contra piis promissa est longæuitas passim Exod. 20. v. 12. & 23. v. 25. & 26. Deut. 30. v. 10. Prou. 3. v. 2. & 4. v. 10. Eph. 6. v. 3.

Si autem pii etiam cito abripiuntur, Dei beneficio fit, vt mox perueniant ad optatam quietem, Apoc. 14. v. 13, & oculi ipsorum non vident mala, 2. Par. 34. v. 28. nec leduntur, Sap. 4. v. 11.

III. Pars.

Quodnam autem remedium his malis inueniri poterit, vt ira Dei cesset, & leniatur omnis miseria vitæ nostræ breuissimæ?

Id ipsum iam tertio loco, ex Psalms verbis erit nobis considerandum.

Tri

Tria autem remedia hic Psalmus ostendit.

I. Primum est, ut credamus, Deum serio peccatis irasci, & ut timeamus indignationem Dei, ver. 1.

Hoc autem tum rectissime poterimus facere, si consideremus sepius, quod simus morti vicini. Si enim de morte cogitauerimus, de ira Dei cogitabimus. Si de ira Dei, etiam de peccato, quod est iræ atque mortis causa.

Et hæc sane meditatio sapientes reddet nos.

1. Docebit enim nos facere ea in tempore, quæ facienda sunt & agnoscere tempus acceptum, 2. Cor. 6. vers. 2. & tempus visitationis, Luc. 16. v. 44.

Ne dormiamus, sed exurgamus à peccatis, Rom. 13. v. 12. & non conformemur huic mundo, Rom. 12. ver. 2. qui perit cum omnibus suis concupiscentiis Joh. 2. v. 7.

Deinde docebit nos vitare peccata: quæ summa est sapientia, Syr. 1. v. 27. & 20. Nam qui semper recordatur nouissimorum, non peccabit, Syr. 7. v. 40.

Scimus enim, post mortem nihil restare præter iudicium, Hebr. 9. vers. 17. Et omnibus esse comparandum coram tribunali iudicis, 1. Cor. 5. v. 10 Ecc. 11. in principio & fine. Hoc qui cogitat, certe sapienter ambulabit, ne confundatur coram omnibus Angelis.

Et operam dabit, ut iram Dei auertat à peccatis suis, dum viuit, quærendo aduocatum, 1. Joh. 2. vers. 1. mediatorem, 1. Tim. 2. vers. 5. & *ἀντὶς* pro peccatis, Matth. 20. vers. 28.

II. Alterum remedium in his malis est precatio seria, cuius hoc loco formulam præscribit Psalter. Quid ergo orandum?

Primum hoc, ut cum nos facillime obliuiscamur mortis & iræ diuinæ, ut Dominus doceat nos numerum dierum nostrorum, &c. Eadem precatio etiam extat, Psalm. 36. v. 6.

Admoncas mortis Deus extremis diei.

Mortales cæcos, ut sapienter agant.

Deinde oremus Dominum, ut sit propitius peccatis nostris.

○

nostris.

nostris, & remittat illa, ex mera gratia atque misericordia sua. Id volunt versus 13. & 14. Meditationem enim peccatorum & iræ Dei sequitur deprecatio, Psal. 32. v. 6.

Tertio orandum, vt Dominus auertere velit illa mala & miseras, quæ faciunt vitam acerbiozem: vtq; cesset affligere.

Sic enim sperat recreatum iri cor triste, & lætitiā illam omnem dolorum vehemenciam esse lenituram.

Hoc vers. 14. & 15. precatur.

Quarto orandum, vt Dominus nobis seruis suis, atque etiam filiis siue posteris nostris, ostendar gloriosam suam liberationem, qua à potestate Satanæ, eripuit omnes credentes. In hoc autem filius Dei apparuit, vt destruar opera Satanæ, 1. Ioh. 3. v. 8. Hæc est liberatio gloriosa & opus Dei.

Vicissim verd instauratum & cæptum in nobis opus bonum perficiat vsque ad diem Iesu Christi, Phil. 1. v. 6. Et in nobis atque posteris det velle & perficere, Philip. 2. vers. 13.

Tandem orandum, vt Dominus largitur felix successum in omnibus actionibus nostris (illas hic vocat opera manuum) tam priuatis, quam publicis. Quia sine ipsius incremento omnes labores sunt irriti. 1. Cor. 3. v. 7. Et Psal. 127. v. 1. & seq.

Vsvs huius loci breuiter is erit, vt videamus quam necesse sit, semper & vbique & pro omnib. ad salutem corporalem atque æternam necessariis, orare Dominum. De quo sæpius supra, in dispositionibus præcedentib. multis,

III. Remedium in omnibus ærumnis erit etiam *consolatio* firmissima, quam ex hoc eodem Psalmo debemus capere. Hic autem ultimo loco repetendum, quod primo loco Psalms ponitur: Dominum esse *refugium* nostrum. sc. in omnibus miseriis huius vitæ.

2. Atque refugium esse semper. *für vnd für.*

3. Et Deum esse nostrum, qui ab æterno decreuerit nobis benefacere. Antequam montes fierent, v. 2.

4. Cuius

Cuius tunc
sempiternam re
fugium erit
vultu pui co
noscimus die c

11 v. 1. Joh. 1. v. 14.
Pondosa san
tat.

1. Demer
ramola, pat
porci. Psal. 3

1. Vltimo
blor, & pro
vrausim loc

Salomonem
& cætera. H
bis.

1. Quod
bit mensur
Restat

gratias ag

Hic Psal
Genuerit, in
remitto, ne
libelluristit

Diui, I
mentum. La 66

4. Cuius tanta sit bonitas, vt licet sinat mori homines, semper tamen reducat alios.

Et is sane etiam mortuos omnes suo tempore reducet, vt viuant pii coram ipso in æternum, quando scilicet in nouissimo die excitabit omnes. De hoc Esa. 25. v. 7. Dan. 12. v. 2. Joh. 5. v. 28. 1. Theff. 4. v. 16.

Pondera sane plurimarum consolationum in his latent.

1. Deum enim nescimus, quo fugiamus in hac vita æramnosa, pater tamen nobis aditus, ad Deum. Is susceptor est, Psal. 3. 18. 42. 59. 62. 91. 119. 144.

2. Si hinc auferat homines viles Ecclesiæ, & Reipublicæ, & proximo cuique priuato, tam bonus tamen est, vt alios in locum illorum substituat, & post Dauidem de Salomonem, post Eliam Elisæum, post Paulum Titum, & cætera. Hoc nisi faceret Dominus, actum esset de nobis.

3. Quodque tandem sua nos adimpleuit gratia, & parabit mensam cum oleo lætitiæ, Psal. 23. v. 5.

Restat ergo, vt Deo salutaris nostro dicamus laudes, & gratias agamus, atque celebremus perpetuo.

F I N I S,

THEMA LXIII,

Psal. XCI.

Hic Psalmus supra in I. parte Promptuarii integer tractatus est, in fine Classis VII. Vide pag. 698. Illic lectorem remitto, ne eadem sæpius cum molestia repetantur, & libellus iusto maior fiat.

THEMA LXIV.

Psal. 102. vers. 25. ad finem.

Dixi, Deus meus, ne auferas me in dimidio dierum meorum. Et cætera, que sequuntur ad finem.

O 2

D 15